



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

§. 8. De negante peccatum commissum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

§. VIII.

De negante peccatum commissum.

104. Posterior quaestio circa integritatem confessionis est: *An debeat, vel possit absolvi, qui negat se commississe peccatum aliquod mortale, quod Confessarius novit eum commississe?* Ratio dubitandi est, quia in foro conscientiae credendum quidem est poenitenti tam pro se, quam contra se, ut habet tritum axioma. Sed Bonac. *de poenit. Disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 1. in fine* rectè ait, id intelligendum esse tantum cum hac exceptione: *nisi den-der constet, oppositum, notaque sit poenitentis indispositio.*

Sic ergo responderetur. Si Confessarius novit illud peccatum ex sola confessione complicis, tunc de eo ne quidem interrogare potest poenitentem, nisi generaliter tantum (v. g. an nihil aliud habeat, quod confiteatur) vel nisi peccatum illud sit, de quo alii ejusdem conditionis poenitentes interrogari solent; vel denique nisi à poenitente acceperit licentiam, de illo peccato speciatim loquendi cum complice, neque scandalum obster. Laym. *l. 5. tit. 6. cap. 14. n. 24.* Ratio, quia alioquin frangeret Sigillum. Tan. *tom. 4. Disp. 6. q. 7. n. 99.* qui tamen *q. 9. n. 146. Et seq. cum aliis* contra alios docet, Licentiam solius poenitentis non sufficere. de quo *infra n. 230.*

Quod si Confessarius peccatum illud ab aliis fide dignis extra confessionem cognovit, vel ipse suis oculis vidit, v. g. fornicantem, obscena agentem, audivit blasphemantem &c. vel juxta Laym. & alios contra Tan. & alios, praedicta & accepta à poenitente licentia valeat: tunc omni-

R. P. Stoer Trib. Poenit. Lib. II.

no potest, & debet de ejusmodi peccatis in specie interrogare complicem, si in confessione ipse se non accuset, ut dictum *suprà n. 101. cum seqq.* Sed si iste constanter neget, debet eum plerumque absolvere. Laym. *l. c. n. 25.* quia Confessarius debet poenitenti hinc magis credere quam complici, vel aliis, vel etiam sibi ipsi, & propriis suis oculis, atque auribus. Cum enim tam multa causae sint, ob quas legitime potest aliquod peccatum mortale in confessione reticere, adeoque negari, cumque praeterea nullus actus externus sit formaliter peccatum mortale, nisi fiat cum plena deliberatione & advertentia ad malitiam moralem ejusque gravitatem; atque adeo peccatum ex genere suo mortale sapissimè per accidens fiat veniale; haec autem, & similia communiter aliis non possint esse certò perspecta, neque sub sensum cadant; certum etiam aliis esse non potest, poenitentem in hac vel illo actu externo peccasse mortaliter; vel teneri, si mortaliter peccavit, hinc & nunc confiteri.

Quod si tamen, quandoque consideratis omnibus circumstantiis certò constaret, peccatum mortale esse à poenitente commissum; idque ab eo malitiosè, ac mendaciter negari, tunc etiam certum est, non posse absolvi. Dicant. *de poenit. Disp. II. à n. 331.* quia, cum posset, & deberet, non integrè confiteretur; eumque absolvens peccaret graviter, & contra suum Judicis officium, & contra reverentiam Sacramenti, invalidè & sacrilegè ministrando illud indisposito. Tamb. *de Confess. lib. 3. cap. 9. n. 5. Et seqq.* Lug. *de poenit. Disp. 22. n. 21.* Vide Fagund. *Præcepto 2. lib. 6. cap. 5. n. 37. Et 38.*

H

§. IX.